

41784
4a
196
DISSERTATIO IURIDICA INAVGVRALIS
EXHIBENS
OBSERVATIONES SELECTAS
DE
INCESTV.

3
QUAS
CONSENSU
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
PHILIPPO IACOBO HEISLERO

H. T. PRORECTOR
I. V. D. PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT.
IVRID. ASSESS. EIVSDEMQUE
H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

DIE XXVII OCTOBR. C I O I O C C L X X .

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

~~Auctor~~

FRIDERICVS VILELMVS SCHILLER

VRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE SALICAE

TYPIS CVRTII.

Auctor est ad. dn. Prof. jas. Heisler.

INCESA

PHILIPPO JACOBO HERSI ERO

—

卷之三

which may be used with the intent



OBS. I.

Definitio incestus.

Incestus (a), si proprio (b) accipitur,
(germ. eine Blutschande) est de-
lictum carnis in sensu proprio,
quod perpetrant personae in gradu verae
cognitionis coitum prohibente existentes
concubentes. Nititur haec definitio et
legum auctoritate, *L.f. D. de condit. sine cauf.*

L. 39. §. 1. L. 5. D. de quaest. c. 2. C. 36. q. 1. c. 10.
C. 35. q. 3. C. C. art. u7. et optimorum iuris
criminalis interpretum consensu, ut BOEHMEE-
RI in *Element. Iurisprud. crim.* §. CCCVIII, MEI-
STERI in *Princ. Iur. crim.* §. 282, KOCHII in
Instit. Iur. crim. §. CCCXXXIV, QVISTORPII
in *Grundsatzen des teutschen peinlichen Rechts* §.
502. et, qui novissime nobilissimam hanc iu-
risprudentiae partem exornavit, PÜTT-
MANNI in *Element. Iur. crim.* §. 640. Constat
genere et differentia specifica. Genus est
delictum carnis in sensu proprio. *Delictum carnis*
generatim enim est delictum, quod vagam
libidinem concernit. *Vaga libido*, seu, quod
idem est, *actus libidinosus* est vsus partium
genitalium solius voluptatis sensualis excitan-
dae gratia, sive coitus sit sive non. Vid. Per-
ill. NETTELBLADTII *Syst. element. iurisprud. na-*
tur. §. 431. Iam vero delictum carnis in hoc
sensu generali vel continet vagam libidinem
respectu ipsius agentis, vel viam tantum
parat

parat ad exercendam libidinem. Si prius,
delictum carnis in sensu proprio, si posterius, *de-*
lictum carnis in sensu improposito dici solet. Hoc
abit in *lenocinium et raptum*; illud vero plu-
res sub se comprehendit species, de quibus
mox plura. Differentia specifica est, *quod*
perpetravit personae in gradu verae cognationis coi-
tum prohibente existentes concubentes. Ponamus
enim delictum carnis in sensu proprio vel
consideratur ratione modi, quo committi-
tur, vel respectu personarum, a quibus
committitur. Si prius, vel est actus libidi-
nosus contra naturam eiusque ordinem ad-
missus, vel minus. Ut vero usus partium
genitalium naturae eiusque ordini conve-
niat, requiritur, vt a) homines concum-
bant, b) diversi sexus et c) immittendo
membrum virile in pudenda mulieris. Illo
in casu *Sodomia* in genere vocatur, et provt
vel concubitu peragitur vel non, in *sodo-*
miam in sensu proprio et sodomiam in sensu impro-

rio dividitur. Prior iterum triplex est, ni-
mirum vel *sodomia ratione generis*, si homo cum
bruto, vel *sodomia ratione sexus*, si masculus cum
masculo, aut femina cum femina vel deni-
que *sodomia ratione ordinis naturae*, si masculus
cum femina quidem, sed non immittendo
membrum virile in pudenda mulieris con-
cumbit. Ad posteriorem referunt *mastupratio-*
nem, onaniam, exstinctam in cadavere feminine libidi-
nem, fricationem in feminis, de quibus MYLIVS ad
BEYERVM art. 116. pos. 15. et, qui primo loco no-
minandus fuisset, DAMHOVDER in *Praxi Cri-*
minal. Cap. 96. num. 32. seq. Hoc vero in casu,
nempe si consideratur respectu personarum,
a quibus committitur, personae concum-
bentes vel sunt in gradu verae cognitionis
coitum prohibente vel non seu personae ex-
traneae. Priori in casu *incepsus* dicitur, poste-
riori autem, vel sunt personae solutae vel
coniugatae. Si illud, vel est conjunctio ma-
ris et feminae absque affectione maritali ne-
glecta-

glestaque forma ad matrimonium ineundum legibus praescripta contracta vel non. Illo in casu *concubinatus* insensu iuris hodierni appellatur, hoc autem, vel est concubitus cum persona honesta vel cum meretrice. Si prius *suprum*, si posterius, *fornicatio* audit. Si hoc, nimirum, si concubitus perpetratur inter personas coniugatas, vel fit interveniente forma legibus ad ineundum matrimonium praescripta, vel minus. Priori in casu *bigamia* seu *digamia*, posteriori *adulterium* vocatur. Ex quo simul patet, in quo differat incestus a reliquis delictis carnis. Gradus ergo prohibiti incestum determinant, quibus cessantibus, reatus hic exulat, et si personae remotiori cognatione iungantur. Cognatio vero vtrum legitima sit, an illegitima, vtrum ex uno, an ex vtroque parente, nihil interest, arg. c. 6. 10. X. de eo qui cogn. consang. uxor. suae vel spons. Conf. WERNHER Obs. for. P. VIII. obs. CCCLXVIII. BOEHMER ad CARPZOV.

Quæst.

BRUNNUS

Quæst. LXXIII. obs. i. Contra huc non pér-
tinent personae cognatione civili aut spiri-
tuali iunctæ, vid. BERLICH P. IV. Corclus.
XXXII. n. 83. multo minus nutrices, ut con-
tra BOERIVM ostendit CARPZOV. Quæst.
LXXII. n. 55. Necesse visum non est addere
definitioni: *sine prævia dispensatione*, quia haec
notitia continetur verbo *delictum*. (c)

a) Incestus unde dicatur, disquirit SCHWENDEN-
DÖRFFER in *Diss. de incesto th. I.* Dicitur ince-
stus, *vs*, vel incestum, *i.* Vtraque declinatione
vtuntur Jurisconsulti, sed non est haec forma Ju-
risconsulti propria. Ipse enim CICERO non
modo *incestu* dixit Partit. *Orat. Cap. XXXIV.* &
pro Milone *Cap. XXII.* verum etiam *incesto Lib.*
IV. Tusc. Qu. Cap. 35. & *incestis L. II. de Leg.*
Cap. 16. Sed & LIVIUS promiscue dixit *incestu*
Lib. IV. Cap. 44. & *incesto Lib. VIII. Cap. 15.*
nec non *incesti Lib. II. Cap. 42.* Præterea et ad-
iectiuum frequentissimum est in iure nostro. Vid.
VONIS DUCKER *de Latinit. Juriscons. p. 338.* BRIS.

SONIVS

SONIUS in *Parergis Cap. LIV.* et de *Verbor.*

Signif. sub voce: incestum.

b) *Incestus improprie accipitur pro omni personarum ex quacunque ratione coniungi prohibitarum concubitu.* Sic v. g. *incestus vocatur coniunctio inter cognatos spirituales inita, c. 8. 9. 10. C. 30. q. 1. KRESS ad art. 117. C. C. C. §. 4. BOEHMER Jus eccles. Protest. L. IV. tit. XI. §. XV. item inter cognatos civiles, de BOEHMER ad art.*

*117. C. C. C. §. 2. Perill. KOCH Inſtit. Jur. Crim. §. CCCXXIV. Sic; porro *incestus statuitur personæ, quæ Deo virginitatem voulit, fornicatio, quæ allo nomine vocatur sacrilegium c. 9. Disſ. 27. c. 14. C. 27. q. 1. quemadmodum & apud Romanos virgines Vestales *incestum committere dicebantur, si cum viris coibant, ut apud PLINIVM Lib. XXVIII. Cap. VIII. & quæ sunt reliqua *incestus in sensu improprio sumti species.****

c) Scripta de *incestu* recenser *LIPENIUS* in *Biblioth. iurid. & SCHOTT* in *Lipenii Biblioth. in-*

B

rid.

rid. Supplēt. ac Emendat. sub voce: *incestus & incestum conjugium.* Adde, quod nouiori aetate prodiit, Ill. PHIL. JAC. HEISLERI *iuristische Abhandlung von Veriäbrung der Blutschande und übrigen fleischlichen Vermischungen in verbothenen Graden.* Halle 1778. 4.

OBS. II.

Vtrum incestus lege Julia de adulteriis contineatur?

Incestus *vtrum lege Julia de adulteriis contineatur,* quæstio est valde controuersa. Notissima est *lex Julia* a potissimo capite de adulteriis dicta, qua AVGUSTUS, vt eleganter HORAT. Lib. IV. Od. V. v. 20. maculosum edomuit nefas, & de qua egregie scripserunt BARN. BRISSONIUS *Comment. ad legem Iuliam de adulteriis* Paris 1557. 8. et inter eius Opera a TRECKELIO edita, nec non IO. GUIL. HOFFMANNUS *ad legem Juliam de adulteriis coercendis lib. singul.* Francof. 1732. 4. qui & in FEL.

LEN-

LENBERGII *Jurisprud. ant.* Tom. I. extat. Quod vero lege Julia de adulteriis incestus non contineatur, sequentes probant rationes. Ac primum quidem VPLANVS L. 4. D. de quest. ait: *In incestu (ut Papinianus respondit & est rescriptum) seruorum tormenta cessant: quia & lex Julia cessat de adulteriis.* Quærerit VPLANVS, an tortura servorum in caput domini locum habeat in incestu? Respondet, cessare eam, quia cessat lex Julia de adulteriis, hoc est, quoniam ea lege de incestu nihil cautum. Deinde PAPINIANVS L. 39. §. 5. D. ad L. Jul. de adult. diserte scribit: *Præscriptione quinque annorum crimen incesti coniunctum adulterio non excluditur.* Ratio, cur PAPINIANVS incestum cum adulterio coniunctum quinquennio præscribi negat, nulla alia est, quam quia incestus lege Julia de adulteriis haud continetur. Plura hac de re vide apud III. PRAESIDEM in der Abhandlung von Veriübung der Blutschande §. 8. seq.

ORIOE

B 2

OBS.

bou... tate... Q... OBS. III.
non au... Diu... incestus.

Variae sunt incestus diuisiones, quæ tamen omnes commode ad duas classes reduci possunt. Sunt nempe vel generales vel speciales. Illæ incestui cum aliis delictis communis sunt, hæ ipsi ita sunt propriæ, ut in nullum aliud delictum cadant. Generales hæ fere sunt. Primum incestus diuiditur in *dolosum & culposum*, prout vel dolo vel culpa commissus est. Quid dolus & culpa sit, inter omnes constat, vid. Perill. NETTELBADI Syt. element. Fur. Nat. §. 103. & de BOEHMER ad C. C. C. art. 17. §. III. Culposus vero iterum est vel culpa ordinaria vel culpa media commissus. *Culpa media* est defectus rectitudinis actionis vincibilis, qui ex exceptione in casu collisionis legum minus rite facta existit, *culpa ordinaria* vero, quæ ita comparata non est, attamen defectum rectitudinis actionis vincibilem involuit. Conf.

GEORG

GEORG HENR. RIBOVII *Comment. de culpa media*
 Goetting. 1741. 4. Ad incestum culpa media
 commissum referendus est casus', si filia a
 patre persuasa, ut ipsi hac quoque in re
 morem gerere debeat, cum eo concubuit,
 de quo vid. CARPOV. Qu. 71. n. 47. LVDO-
 VICI ad art. n7. C. C. C. ENGAV Element. Jur.
Crim. §. CCXXI. Deinde incestus est vel con-
 summatus vel non, & hoc in casu vel attenta-
 tus vel inchoatus, quemadmodum delicta in
 genere ita diuiduntur. Vid. KOCHII *Inß. Jur.*
orim. §. XXVI. Speciales incestus diuisiones au-
 tem sunt sequentes. Primo incestus est vel *in-
 cestus in consanguinitate* vel *in affinitate* commissus,
 prout concubentes vel sunt in gradu con-
 sanguinitatis vel in gradu affinitatis coitum
 prohibente, vid. BOEHMER *Princ. Jur. Can. §.*
387. seq. *Quasi incestus* committitur, si coitus pro-
 hibitus est propter quasi affinitatem i. e.
 quae ex sponsalibus oritur aut e diuortio
 superstes est §. 9. *Inß. de nupt. L. 12. §. 1. 2. 3. D.*

de rit. nupt. e. g. si quis post sponsalia cum ma-
 tre inita corpus cum filia misceat. Vid.
BERGER Suppl. ad Elect. iurisprud. crim. Part.
II. Obs. 162. & **HOMMEL Rhap. Quæst. Obs. 227.**
 Deinde Romani distinguébant inter ince-
 stum iuris gentium & iuris ciuilis. *Iure gen-
 tium*, inquit **PAULUS L. 68. D. de rit. nupt. in-**
cestum committit, qui ex gradu adscendentium vel de-
scendentium vxorem dicit. Qui vero ex latere eam
duxerit, quam vetatur, vel affinem, quam impe-
ditur, si quidem palam fecerit, leuius, si vero clam
hoc commiserit, grauius punitur. Add. arg. **L. 38. §. 2.**
D. ad L. Iul. de adult. Ex quo patet, ince-
 stum iure gentium committi inter ascendentes
 et descendentes, inter reliquos autem iure
 ciuilis; add. **L. vlt. §. 1. D. de condic. sine caus.**
 Quo posito, fratres & sorores concumber-
 tes incestum iuris gentium non committunt.
 Dissentit **MATTHAEI de criminibus Lib. XLVIII.**
 tit. **III. Cap. IV. n. 3.** Sed contrarium docet
III. PRAESES libello suo von der Veriährung der

Blut-

*Blutschande §. i. n. *) Conf. de BOEHMER ad art
n7. C. C. C. §. IV.* Tertio incestus iure ho-
dierno diuiditur in *incestum iuris diuini & iuris
humani*, prout coitum prohibet velius diui-
num, vel ius humanum. Prohibitiones
iuris diuini legere est *Leuit. 18. & 20.* Conf.
I. D. MICHAELIS *Abhandlung von den Ehegesetzen*
Mosis. Goetting. 1768. Prior in foris prote-
stantium eine Blutschande in spec & pos-
terior eine fleischliche Vermischung im ver-
botenen Grad dici solet. vid. CARPZOV. *Ia-
rijpr. Confit. Lib. II. Daf. 87.* CLASSEN ad art.
n7. §. 2. KRESS ad eundem art. de BOEHMER ad
C. C. C. art. n7. §. IV. Denique incestus vel
per matrimonii coniunctionem admittitur,
vel cum alia criminis turpitudine coniunctus
est; incestus enim cum adulterio, bigamia,
stupro, concubinatu & fornicatione con-
currere potest. Priori casu *simplex seu ma-
trimonialis*, posteriori *coniunctus seu extra ma-
trimoniis* vel ob immunitate *admissus in
trino-*
cere

trimonialis dicitur, vid. MATTHAEI l. c. n. 2.
KOC^H Inst. Iur. crim. §. CCCXXXVI.

a) Plerique incestum culposum quasi incestum vocant. Vid. KOC^H Inst. Iur. crim. §. CCCXXXV. de BOEHMER ad art. 117. C. C. C. §. III. sed minus recte, si quid videmus. Maxime enim inter se differunt quasi delictum & delictum culposum. *Quasi delictum*, seu, ut proprie dici deberet, *obligatio quasi ex delicto* est factum illicitum, mediante quo contrahitur obligatio delicto similis. Tale est 1) imperitia iudicis male iudicantis, 2) damnum effusione vel deiectione datum, 3) positio vel suspensio nociva, 4) damnum in nau, cauponā vel stabulo datum a famulis. Vid. tit. Inst. de obligat, quae quasi ex delict. nasc. Delictum culposum vero est, quod culpa admittitur.

OBS. IV.

De consummatione incestus.

Ad consummationem incestus vtrum requiratur feminis immissio, an vero sufficiat,

ciat, quando mas membrum in vas femineum immiserit, de eo non convenit interpretes. Posterius defendit in primis *de BOEHMER ad art. n^o 7. C. C. C. §. 1.* Prius vulgo statuunt interpretes, quod & verius videatur. Incestus enim fit concubitu per definitionem incestus. Iam vero regula est, delicta carnis in sensu proprio, quæ coitu peraguntur, feminis immissione demum consummari. Ergo ut idem valeat de incestu, necesse est. Quod autem delicta carnis, quæ coitu peraguntur, feminis immissione demum perficiantur, ex ipsa rei natura fluit: quum ante coitus absolutus dici nequeat, priusquam feminis immissio subsequuta est. Consentient LEYSER *Medit. ad Pand. Spec. 586. m. 17.* MEISTER in *Princ. Iur. crim.* §. 284. KOCH in *Infl. Iur. crim. §. CCCXXXVI.* Putant aliqui, sola contrestante pudendum incestum committi, quoniam *Leuit. XVIII. v. 6. seq.* de non detegenda nuditate

C

aga-

agatur. Sed caste loqui amat facer codex:
quod & clariss patet ex *I. Corintb. VI. v. 16.*
Vid. SPENERI *Theologische Bedencken Vol. IV. pag.*
708. seq. LEYSER l. c. Coroll.

OBS. V.

De pena incestus.

Valde dubium est, quæ fuerit poenaincestus apud Romanos. Iure Digestorum poena arbitaria fuisse videtur, eaque mox grauior, vt deportatio, mox mitior, vt relegatio, prout incestus erat, vel iuris gentium vel iuris ciuilis, item vel simplex vel coniunctus. PAULUS *Sentent. Recept. Lib. II. tit. XIX. §. 5.* hunc in modum scribit: *Si vero cognatam contra interdictum duxerit, remissio mulieri iuris errore ipse penam legis Iulie patitur, non etiam ducta.* De incestu simplici & quidem iuris ciuilis sermo est. Illud ex verbis: *si cognatam duxerit, hoc ex*

ex verbis: *contra interdicendum*, patet. Verba autem: *pānam legis Iulie patitur*, nihil aliud denotant, quam huiusmodi incestus reum instar eius, qui contra legem Iuliam de adulteriis peccauit, puniendum esse. Fuit pōena legis Iuliæ relegatio, teste PAULO *Sent. Recept. Lib. II. tit. XXVI. §. 14.* Itaque ex mente PAVLI in insulam relegandus est. Idem lūreconsultus *I. c. §. 15.* *Incesti pānam*, inquit, quæ in viro in insulam est deportatio, mulieri placuit remitti, hacenus tamen, quatenus lege Iulie de adulteriis non apprehenditur. Iterum de incestu iuris ciuilis loquitur PAULUS, quia incesti pōnam mulieri remitti dicit, quod tantum in incestu iuris ciuilis placuit, ut docet *L. 38. §. 2. D. ad L. Iul. de adult.* eiusque incestus pōnam esse dicit deportationem. Dubitat SCHULTINGIUS in Notis ad hunc locum, an non PAULUS scriperit relegatio. Nos nihil mutamus, credimus potius, lūreconsultum cogitasse de incestu cum adultere-

rio vel stupro coniuncto, quia eatenus tan-
tum mulieribus poenam incesti remitti ait,
quatenus lege Iulia de adulteriis non appre-
henditur. Apprehenditur hic idem est ac con-
tinetur, L. 10. D. de liber. & postb. L. 14. §. 2.
D. de except. rei iud. Adeoque si cum incestu
coniunctum fuerit stuprum vel adulterium,
horum delictorum poena omnino obtinebit.
Vid. III. PRÆSES von der Verübung der Blut-
schande §. 16. Porro MARCIANVS L. 5. D. de
queſt. Si quis, inquit, viduam vel alii nuptam co-
gnatam, cum qua nuptias contrabere non poteſt,
corruperit, in insulam deportandus: quia duplex
crimen eſt, & incestum, quia cognatam violauit con-
tra fas & adulterium vel stuprum adiungit. Lo-
quitur Iureconsultus de incestu cum adulte-
rio aut stupro coniuncto, eumque poena
deportationis coercendum esse existimat.
Eadem eſt sententia PAPINIANI L. 38. §. 1. D.
ad L. Iul. de adult. Stuprum in sororis filiam si
committatur, an adulterii pena ſufficiat mari, con-

fide.

siderandum est? Occurrit, quod hic duplex admis-
sum est, quia multum interest, errore matrimonium
illicite contrabatur, an contumacia iuris & sanguini-
nis contumelia concurrant. Quærit AEMILIUS, an
sufficiat poena adulterii, si quis incestum
commiserit cum fororis filia coniunctum cum
stupro? Fuit autem poena adulterii eo tem-
pore relegatio, ut ante iam monuimus. Sen-
tentia PAPINIANI sine dubio hæc est, non
sufficere poenam adulterii, sed grauiorem,
nempe deportationem infligendam esse. Pro-
gredimur ad constitutiones Imperatorum de
incestu. Rigoris exemplum praebet L. I.

C. Tb. de inceſt. nupt. vbi CONSTANTINUS inceſtas
nuptias cum fratriſ filia prohibet ſub poena
capitali. Remiſſiores tamen tum in hac ſpe-
cie tum in nuptiis confobrinorum coercen-
dis fuerunt Impp. ARCADIUS et HONORIUS in
L. 6. C. de inceſt. nupt. qui in ſolis poenis pri-
vatis ſubſtiterunt, nulla publicae coercionis
facta mentione. Tandem IUSTINIANUS in

Nov. 12. c. 1. vnde defumta est Autb. incestas nuptias C. de incest. nupt. iis, qui nuptias iure gentium incestas contraxerunt, poenas statuit, *sitque ei*, inquiens, *pena non confiscatio solum, sed etiam cinguli priuatio & exilium et, si vilis fuerit, etiam corporis verberatio.* Exilii nomine non relegatio, sed deportatio accipi debet, videtur enim Imperator respexisse ad ius vetus. De reliquis speciebus incestus quum nihil noui statuerit IUSTINIANVS, quod quidem ad has attinet, non nisi arbitriæ coercioni locus fuisse videtur. Vid MATTHÆI cit. l. BROUWER *de iure Connub.* Lib. II. Cap. XVII. n. 8. seq. VOETIVS in *Comment. ad Pandect. tit. ad Leg. Iul. de adult.* §. 20. de BOEHMER *ad. art. utr.* C. C. C. §. 4. Apud veteres Germanos certa incestus poena statuta non reperitur. BOEHMER *ELEM. IUR. CRIM.* §. CCCXIII, & l. c. §. V. CAROLVS V. nihil certi de poena incestus fanciuit, sed simpli- citer ad ius romanum prouocauit art. 117.

Item

Item so eyner unkeusch mit seiner stiefftochter,
 mit seines suns eheweib, oder mit seiner stieff-
 mutter treibt, imm solchen und noch nehern si-
 schafften soll die straff wie dawon imm unsfern vor-
 farn unnd unsfern Keyslerlichen geschriben rech-
 ten gesetz, gebraucht, unnd derhalb bei den recht-
 verstandigen radts gepflegt werden. Supple-
 uit hunc defectum usus fori, qui ta-
 men paulo aliter fuit olim quam hodie est. Antiquioribus nempe temporibus ex auctoritate
CARPZOVII Praef. rer. crim. Qu. 71. & 74. qui
 poenam incestus legibus Saxoniciis *P. IV.*
Constit. 22, 23. & 24. sat clare constitutam et-
 iam ad prouincias extra Saxoniam accom-
 modauit, sic solebat definiri, vt incestus
 intuitu consanguineorum in linea recta gla-
 dio, in linea collateralı inter fratres & soro-
 res & inter personas, quae sibi parentum
 loco sunt, fustigatione, intuitu reliquorum
 relegatione vel carcere vindicaretur: ince-
 stus vero intuitu affinium in linea recta &
 colla-

collateralis linea gradu primo, fustigatione,
intuitu reliquorum in linea collaterali relega-
tione aut carcere aut mulcta puniretur. Ita
interpretes ad. art. II7. LUDOVICI, GÆRTNER,
KRESS. Vid. etiam HOMMEL *Rbapf. Quæst. Obs.* 227.
BOEHMER *Elem. Iur. Crim.* §. CCCXIV. Recen-
tiori vero ætate extra Saxoniam & in locis,
vbi leges particulares deficiunt, mitiores
poenæ dictari solent. Vid. MEISTER *Rechtliche Er-
kenntnisse in peinl. Fällen i. Th. dec. 2. & 15.* SCHMIDT
Oeffentliche Rechtsprüche §. Absch. n. n5. CARRACH
Rechtliche Vrtheile und Gutachten in peinl. Sachen
n. 90. KOCH *Instit. Iur. Crim.* §. CCCXXXVII.
QVISTORP *Grundsätze des teutschen peinlichen*
Rechts §. 506.

OBS.

OBS. VI.

Quo tempore incestui praescribatur?

Quemadmodum omnia delicta praescriptioni obnoxia sunt, nisi lex particularis aliud disponat, conf. ENGAV von der Verjährung in peinlichen Fällen. Iena 1737. et recus. ibid. 1772. s. ita quoque incestui praescribi certum quidem, sed, quo tempore ei praescribatur, valde dubium est. Eum quinquennio deleri, cum multis aliis defendit SAM. FRID. BOEHMER in *Diff. de incestus quinquennali praescriptione*. Francof. ad Viadr. 1754. Viginti deinceps annis ei praescribi docet III. PRAESES libello von der Verjährung der Blutsbände und übrigen fleischlichen Vermischungen in verbotnen Graden. Halle 1778. 4. Posterior sententia verior esse videtur. Praescribitur enim delictis regulariter viginti annis, vt manifeste apparet ex L. 3. D. de requir. vel abf. damn. et L. 12. C. ad L. Corn. de falf. nisi exceptio doceri possit L. 13. D. de divers. temp.

D

pra-

praescript. Iam vero supra Obs. IV. demon-
strauimus, incestum lege Iulia de adulteriis
non contineri. Ergo ei non quinquennio
sed vicennio demum praescribitur. Neque
obstat L. 29. §. 6. D. ad L. Iul. de adult. vbi VL-
PIANVS ita ait: *Hoc quinquennium obseruari le-
gislator voluit, si reo vel reae stuprum, adulterium
vel lenocinium obiciatur.* Quid ergo, si aliud cri-
men sit, quod obiciatur, quod ex lege Iulia descen-
dit? ut sunt, qui domum suam stupri causa praec-
buerunt et alii similes? et melius est dicere, omnibus
admissis ex lege Iulia venientibus quinquennium est
praestitutum. Sub verbis: *et alii similes*,ince-
stuosi non comprehenduntur vid. L. 29. pr.
et §. 1. seq. D. ad L. Iul. de adult. et L. 37. §. 1. D.
de minor. Ceterum totam hanc quaestionem
latius exposuit III. PRAESES libello saepius
laudato von *Verübung der Blutschande und übri-
gen fleischlichen Vermischungen in verbotnen
Graden.*

OBS.

OBS. VII.

*Verum confiscationi bonorum locus sit hodie
in incestu?*

Inter poenas incestus non postremum locum obtinuit bonorum confiscatio, de cuius usu hodierno non omnium eadem est sententia. Veteri iure eam intuitu liberosrum ex incestu procreatorum, immo et ceterorum cognatorum, qui ex illis conciliatores nefariorum amplexuum fuere, obtinuisse, discimus ex I. 6. C. de inc. nupt.; contra liberis ex alio matrimonio natis usque ad tertium gradum, parentibus usque ad secundum bona servata. Hoc ius an correxerit IVSTINIANVS in Nov. 12. et 134. id ipsum est, de quo disputatur. Auxisse potius poenas pristinas, et confiscationem in odium eorum, qui olim admissi, inuexisse, existimat RITTERSHVSIVS ad Novell. P. IV. C. II. §. XXII. eo, quod solis liberis, ex aliis legitimis nuptiis ad bona admissis, in Nov. 12. mox re-

rum casum imminere, voluerit, et per inclusionem solorum liberorum, reliquos cognatos omnes antea admissos, excluderit. Neque, pergit, consilium mutasse in Nov. 134. c. f., quasi haec tantum ad eam confisicationem pertineat, quae quondam in consequentiam poenarum capitalium obtinuit, non ad eam, quae speciali iure sustinetur, adeoque correctio generalis non trahenda sit ad eam, quae iure singulari olim obtinuit. Ita quoque PAGENSTECHER in Sicil. ad Dig. p. 360. et pro hac singulari confisicatione in crimen incestus pronunciasse iudices testantur
 MYNSINGER Cent. III. obs. XCII. KLOCK de aerar.
 L. II. Cap. CXXXIX. n. X. WERNHER P. IV. obs.
 XCVII. Contra antiquasse IUSTINIANVM omnem omnino confisicationem per Nov. 134.
 post MATHAEVM Tit. de poen. C. II. N. III. docet CARPOZOV Qu. CXXXV. cuius doctrina hac defenditur ratione, quod alioquin exceptio solius criminis maiestatis frustranea fuisset,

set,

set, ex qua contra confiscationem in criminis incestus respondit DONAVER *Conf. XC.*
Si ex iure Romano decisio petenda esset, magis in priorem sententiam inclinaremus. Sed
CAROLVS V. art. 218. hic otium nobis fecit, qui
a profligata e iudicis publicis confiscatione,
praeter crimen perduellionis eas species,
in quibus nominatim, et iure singulari ea
retenta, exceptit. Sic enim rationem du-
bitandi sustulit, quam non sine specie No-
vellaes 134. opposuit DONAVER *cit. l.* Quic-
quid sit, praxis moderna confiscationi pa-
rum fauet, eamque ad solum crimen per-
duellionis usu restrinxisse videtur, adeoque
dubitamus, an in criminis incestus etiam ca-
pitaliter punito locum sit habitura. Ita ha-
bet de BOEHMER *ad art. 117. C. C. C. §. X.*

bet de BOEHMER ad art. 117. C. C. C. §. X.

34. *tauñ non nisi est in omnibus*

... que donne le dessin.

then how are ~~the~~ different suggestions

the combination of casting, forging, rolling, etc.

D 3

D 3

OBS.

OBS. VIII.

Vassalus virum feudo priuari possit ob incestum?

Vassalus propter incestum feudo priuari nequit. Alia est opinio ROSENTHALII *Syn.*

Iur. feud. C. X. concl. 37. SCHRAADERI de feud. p.

*9. c. 3. ZASII de Feud. p. 10. n. 29. quos sequitur STRUV. Synt. Iur. Feud. cap. 15. apb. 10. n. 3. Argumenta, quibus adducti incestum inter causas amittendi feudi referunt, sunt: quod eius, qui incestum commisit, bona publicentur, et in fiscum redigantur, Nov. 12. c. 1. Nov. 134. c. vlt. Deinde prouocant ad textum Iuris Feudalis II. F. 56. ibi: *Bona contrabentium incestas nuptias.* Ad ultimum afferunt, quod vassalus, huiusmodi scelere perpetrato, non amplius honeste in curia domini stare possit II.*

F. 37. *Enimvero haec tanti non sunt, vt a negatiua sententia nos dimouere queant: cuius praecipua nobis ratio est, quod nullibi in iure feudali sancitum sit, vt, qui incestuosis se complexibus maculauit, feudi iure*

excide-

excidere debeat. Atqui nouas amitten-
 di eius causas comminisci nostrae facultatis
 haud est: praesertim cum sanctiones poe-
 nales restringendae potius, quam amplian-
 dae veniant, arg. L. pen. C. de poen. C. no. de R. I.
 in σ. Quibus accedit, quod hodie plerum-
 que feuda non amplius lucrativo, vt olim,
 sed oneroso titulo possideantur; quo magis
 pro vasallorum iure conseruando laboran-
 dum esse videtur. Dubia supra allata haud
 difficult negotio dissolui queunt. Primo
 enim dispositio iuris de publicandis bonis al-
 lodialibus non protinus ad amissionem feudi
 extendi debet, quum vtique haec duo non
 pugnant, bona propter aliquod crimen in
 fiscum redigi, nec tamen ciuiliter ad feudi
 priuationem agi posse, vt recte animaduer-
 tit LVDWELL Syn. Feud. c. XVII. in fin. p.
 m. 463. Sicuti etiam II. Feud. 56. de sim-
 plici publicatione bonorum allodialium lo-
 quitur; quod vel ex eo manifeste liquet,
 quod

quod bona illa fisco addicantur, cum feudum, cuius iure vasallus excidit, vel ad dominum reuertatur, vel certe ad agnatos et simultaneos inuestitos perueniat. Quod vero per tale delictum existimatio vasalli laeditur, ut stare in curia domini honeste non possit, neque hoc ad eundem feudo priuandum sufficit, nisi et adulterium, et stuprum nec non quodlibet homicidium sufficere largiamur; quod tamen nemo facile admiserit. Vid. II.F. 24. §. 2. vers. illud enim. Atque hanc eandem sententiam tuetur LUDWELL. c. quem sequitur HORN in *Iurispr. feud.* c. 25. §. 17. Vid. ex instituto hac de re differentem WERNHERUM *Obf. for. P. I. obf. IV.*



ILLVSTRISSIMO MECENATI

EXCELLENTISSIMO QVE DOMINO

D O M I N O

IOANNI HENRICO CASIMIRO
DE CARMER

POTENTISSIMI BORVSSORVM REGIS

IN CONSILIO STATVS ET IVSTITIAE SANCTIORI ADMINISTRO ACTVALI

REGNI BORVSSICI OMNIVMQUE PROVINCIARVM MAGNO

C A N C E L L A R I O

REL. REL. REL.

E

VIRG

MAECENATI SVO INDVLGENTISSIMO

AETERNO PIETATIS CULTV DEVENERANDO

HASCE

DE CARNIER

QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM

PRIMITIAS

REMI BORZEKI SUMMAM ET TUDICACRATI MAGNO

CANEGIO

FRIDERICVS VILELMVS SCHILLER

VRATISLAVIENSIS.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
HONORVM DOCTORALIVM

O C A N D I D A T O

S. C. P. D.

P R A E S E S.

Talem Tibi reddo dissertationem inauguralem, quam
leam a Te accepi, nihil aut mutatam aut emenda-
tam, insignem Tuae eruditionis testem. Gratulor Ti-
bi de hac re non minus, quam de curriculo academi-
co feliciter peracto. Gratulor honores doctorales pe-
rendie, et quidem, quod periucundum mihi est, me
promotoris officio fungente, Tibi conferendos. Gra-
tulor denique propinquum in patriam redditum, quem
felicem Tibi esse cupio faustumque. Fauxit Numen su-
ppremum, ut et sospes maneas et incolumis et omni-
bus bonis abundes quam diutissime, quibus hominis
folet vita bearri. Accipe haec yota animo erga metam
bene affecto, quam bene affectus erga Te est is, ex
quo sunt profecta. Vale. Scripsi in Fridericana d.
XXVI Octob. MDCCCLXXX.

E 2

VIRO



VIR O

MVL PRAENOBILISSIMO

CANDIDATO DOCTISSIMO

S. P. D.

D. IOAN. HENRICVS OTTO KOENIG.

P. P. E. IN FRIDERICIANA.

De aduersarii munere huius academicci certaminis
mihi demandato, admodum laetor. Certe minus re-
steagerem, si tuos in iurisprudentia profectus nega-
re vellem, quorum scriptas primicias hodierno die in
lucem edis. Deum O. M. rogo, ut assiduitatis Tuae
praemia tibi conferre, felicemque in patriam redditum
dare velit. Vale, mihiique faue. Dabam in Fridericiana
d. XXVII. Oct. cIccLXXX.

PRAE-

PRAENOBISSIMO ATQVE HONORATISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

IOANN. CHRIST. BATHE

HALENSIS

OPPONENS.

Iam in eo es, amice dilectissime, vt honoribus docto-
ralibus, praemiis diligentiae debitis, sis insigniendus
et ornandus; testem me huius aetus solemnis proxim-
iorem esse voluisti, ac in docto rvo certamine adver-
sarium me tibi existere jussisti. Gratulor mihi de ea
re; gratulor tibi hunc diem solemnem et gratias ti-
bi ago maximas pro singulari hoc rvo in me fauore.
Faxit Deus vt omnia ex voto semper tibi procedant.
Ceterum numquam rvo amore indignum me iudices
mhibique et imposterum fauere pergas humanissime pe-
to. Dabam Halee d. XXVII. Octobr. MDCCXXX.

E 3

VIRO

VIRO PRAENOBILISSIMO
LAVREAE DOCTORALIS
CANDIDATO DOCTISSIMO,

S. P. D.

OPPONENS

CAROLVS FRIDERICVS FINKE I. V. C.

VRAT ISLAVIA - SILESIUS.

Rem gratam, omninoque iucundam mihi fecisti, *optime Schillere*, quum opposentis prouinciam mihi esses demandaturus. TV non deseruisti sacra Themidos altaria, vi plerique proh dolor! nostris faciunt temporibus; sed, quod magis est, summas in vtroque iure maluisti capessere dignitates, quibus eriam conseq'quendis ab Inclito nostro ordine iuridico haud indignus es iudicatus. Gratulor hanc *TIBI*, amice praestansime, doctoralem insulam, mihi que non minus ius est talenti gratulari amicum. Eruditionis specimen, quod in publicum iam edidisti, profectum *TVORVM* egregiorum testis omni exceptione maior, tantoque est dignum honoris fastigio. Ex ipso obseruationum *TVARVM* argumento non adeo plano, sed arduo, multis que difficultatibus haud exiguis inuoluto, ingenii *TVI* vires, quibus præ ceteris in iure criminali inclarescunt, satis perspicere licet; imo est ita comparatum, ut exacta vitae *TVAE* ratione gaudere, nec quidquam temporis *TIBI* concreti te prodegitse gloriari possit. — Redi iam in patriam, quae vberrimos *TVAE* eruditionis expe-

expectat fructus, meritaque **TIBI** praemia conferre
gestit. Atque igitur nil amplius habeo, quam vt
TIBI, amice suauissimo, quaevis fortunae emolumen-
ta, vt omnino meres, euentura apprēcer. Memo-
ria **TIBI** mea in sempiternum sit commendata, meque,
vt facis, amare pergas, quam humanissime rogo. Scri-
psi in Fridericiana a. d. XXVII. Octobr. A. O. R.

CICICCLXXX

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
FRIDERICO, GUILIELMO,
SCHILLERO,
IVRIVM DOCTORALIVM CANDIDATO
AMICO SVO SVAVISSIMO,
S. D. P.
IOANNES, PHILIPPVS, HEISLER.
HALAE - MAGDEBURGICVS.
OPPONENS.

Iam multas **TIBI** comparasti laudes, dum ad disser-
endum publice, talem elegisti materiam, qua ingenii
TVI acumen ac acquisitam in iurisprudentia cognitio-
nem, ostendere potuisti. Me non exspectes scientiarum
TVARVM praecōnem, sane superfluum foret, haec si
vterius probare conarer, res ipsa dum loquitur. Volui-

fti,

sti, amice integerrime! ut honorum doctoralium ex
merito TIBI conferendorum testis essem, qui in re TI-
BI deesse nolui. Dissidentis munus, quod in me
collocare TIBI placuit, lubenter accepi, cum mihi hoc
modo occasio suppeditur lauream doctoralem publice
TIBI gratulandi. Faustissimis igitur auspiciis accipe me-
riti tam diu honoris insignia, de quibus omnibus toto
ex animo TIBI gratulor. Summum Numen cuncta bo-
na fausta per omnes vitae dies TIBI evenire iubeat.
Quocunque TÉ denique vocabunt fata, mei ibidem be-
nevolē recordari, meque iu posterum TVA amicitia,
qua mihi nil iucundius, non designari velis. Est uni-
cum adhuc, quod abs te humanissime peto; i votis
cumulatus amici memoriam TVI nunquam deposituri.
Vale. Dabam Halae Magdeburg. die XXV Octob.
MDCCCLXXX.

Halle, Diss.) 1779/80



56.

KD 18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISSE¹⁷⁸⁴
TATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
EXHIBENS
OBSERVATIONES SELECTAS
DE
INCESTV.

QVAS
CONSENSV
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
PHILIPPO IACOBO HEISLERO

H. T. PRORECTOR
I. V. D. PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT.

IVRID. ASSESS. EIVSDEMQUE

H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

ET

PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
RITE CAPESSENDIS

DIE XXVIII OCTOBR. C¹790 CCLXXX.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

~~AVCTOR~~

FRIDERICVS VILELMVS SCHILLER

VRATISLAVIA - SILESIVS.

HALAE SALICAE

TYPIS CVRTII.

Auctor est ad. do. Prof. jas. Heisler.